


MEMORIAM

VIRI AMPLISSIMI

JOANNIS DANIELIS KOCH

HAMBURGENSIS REIPUBLICAE

MAGNIFICI NUPER CONSULIS



C I V I B U S

PUBLICE COMMENDAT

CAROLUS FRIDERICUS HIPPE,

MATHES. P. P. ET GYMNASII RECTOR ANNUUS.

HAMBURGI 1832.

TYPIS JOANNIS AUGUSTI MEISSNER, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET JOANNEI

TYPOGRAPHI.

Memoria Viri Consularis, quem fato nobis ereptum dolemus, quum ipsa per se et cara sit civibus, et stabilita multis rerum gestarum monumentis, non eget nostra ad cives et posteros commendatione. Sed quemadmodum haud inviti intuemur imagines eorum, quos vivos coluimus: ita nec iis, quibus propior cum Consulari usus fuit, ingratum erit, in hac quasi tabula aliquam ejus imaginem intueri propositam. Quae si illum non exprimat talem, qualis in vita vel privata vel publica fuerit, admoneat saltem Ejus cum suavitate quadam. Erit certe maerenti familiae, liberis ac nepotibus, levamentum doloris et desiderii. Aliis documento erit, nostra in republica viam ad honores patere omnibus, qui quidem sollertia et industria, qui prudentia et fide, qui gravitate consilii et constantia animi alios antecellant.

Memoria Viri Consularis, quem fato nobis ereptum dolemus, quum ipsa per se et cara sit civibus, et stabilita multis rerum gestarum monumentis, non eget nostra ad cives et posteros commendatione. Sed quemadmodum haud inviti intuemur imagines eorum, quos vivos coluimus: ita nec iis, quibus propior cum Consulari usus fuit, ingratum erit, in hac quasi tabula aliquam ejus imaginem intueri propositam. Quae si illum non exprimat talem, qualis in vita vel privata vel publica fuerit, admoneat saltem Ejus cum suavitate quadam. Erit certe maerenti familiae, liberis ac nepotibus, levamentum doloris et desiderii. Aliis documento erit, nostra in republica viam ad honores patere omnibus, qui quidem sollertia et industria, qui prudentia et fide, qui gravitate consilii et constantia animi alios antecellant.

In scribenda talis viri vita id egi, ut res maxime notabiles accurate exponerem, quas vel ab ipso olim Consule audivissem, vel per literas et coram accipissem ab aliis hominibus certis ac fide dignis. His subsidiis instructus, jacturam, quam civitas nostra in Illius morte fecit, simplici atque incompta oratione prosecutus sum, securus famae et memor officii Patrum decreto debiti.

Est in finibus Hercynii saltus civitas notissima, Goslar, antiquitatis nomine celebris, et sui quondam juris. Illo tempore etsi non abundabat incolarum locupletium numero, florebat tamen frugalitate atque industria civium, peritorum imprimis arte aeris ferrique venas scrutandi erutasque conflandi. Contenti quaestu e metallis facto, fruebantur mercaturae bonis inde proficiscentibus, majorum retinentes morem in victu cultuque.

Hac in urbe, libera illa necdum regiae potestati obnoxia, natus est is, cujus obitum lugemus, **JOANNES DANIEL KOCH**, die XXVI. m. Augusti, anno saeculi superioris quadragesimo secundo.

Patrem habuit *Joannem Philippum*, ejusdem civitatis consulem et mercatorem, de cujus ingenio

et moribus nonnulla, haud levis momenti, referremus, nisi plura potioraque dicenda essent de filio. Illud tantum, quod luculentis testimoniis compertum habemus, non praetereundum videtur: fuisse eum domui suae severum et gravem adstricti moris auctorem. Quamquam enim a re familiari satis bene instructus erat, ea tamen utebatur vitae moderatione, qua neque coetus et celebrationes hominum obiret, neque quaerendarum atque augendarum fortunarum curam et laborem unquam remitteret. Quam laboriosus fuerit, uno significare libet argumento: quum aliquando labante ejus valetudine, nescio quis, ei suaderet, ut deponendis negotiis sibi tandem consuleret, credo, inquit, consilium fore corpori salutare; at qualis salus in otio! qualis vita sine labore!

Quaerat quispiam: quare tam multa de patre? Nempe ut animo praecipiat, quae paterni exempli vis fuerit ad fingendos filii mores. Est nimirum domesticae disciplinae eadem fere ratio, quae publicae: in utroque genere exempla plerumque plus valent, quam praecepta legesve.

Ab illo igitur patre susceptus est Noster e lectissima conjuge, oriunda ex gente Sternbergia. Conjux autem priore jam partu ediderat filiam, quam

postea collocatam scimus *Baxmanno*, viro honestissimo, qui a socero peregre accitus, mercaturae negotia primo communiter, deinde solus administravit, mortuus autem reliquit suarum filiarum uni ejusque marito, *Friderico Leopoldo Schlüter*, cujus filius *Franciscus*, nostra etiamnunc memoria, conditam a proavo mercaturam feliciter exercet.

Mater mature decessit. Caruit ergo Noster primis tenerrimi amoris suavitatibus; caruit dulci alloquio optimae parentis, quae sola posset lenitate sua flectere pueri animum.

Tanti boni amissionem utcunque levavit cura vidui patris, qui, ut maeroris solatium quoddam ex prosperitate liberorum peteret, studiose anquisivit omnia, quae ad eos fovendos tuendosque pertinerent. Mox filiolum domestico cuidam magistro erudiendum tradidit, a quo imbueretur iis rebus, in quibus esset praeparatio ad destinatum vitae genus. Erat autem in puero ea ingenii docilitas, ut, octavo jam aetatis anno literarum elementis probabiliter institutus, ad publicas scholas adduci posset.

Didicit ibi primum, quae a plurimis disci solent ad religionis vitaeque communis usus necessarios. Biennio post adjecta est latinarum literarum

disciplina: in quibus si eum libenter versatum dicam, minus quam debeam praedicem, quum, laudis atque aemulationis stimulis incitatus, cupidissime arripuerit, quidquid latine doceretur. Captus suavitate fabularum, simplicitate atque elegantia historiarum, latine scriptarum, tanto sensim exarsit Romanarum literarum amore, ut eorum studia omnibus aliis occupationibus anteponenda putaret. In doctorum hominum officinis felicius agi dictitabat, quam in mercatorum tabernis.

Puerilem vero errorem, excusandum illum aetatis inscitia! Nulli quippe studio vitaeque generi felicitatem propriam esse constat, sed omnibus communem; et felicissimum quemque reperiri in eo, in quo plurimum excellat.

Pater expugnandam ratus istam iudicandi temeritatem, filium confestim retraxit e literario ludo, et ablegavit Hildeshemium. Regnavit ibi inter privatos puerorum magistros nobilis quidam Francogallus, Frassarti nomine celebratus, qui propter caedem Gallico cuidam principi illatam profugus patria carebat. Is moderabatur Seminarium Humanitatis, quod vocabat, ab ipso conditum, ad Germanicam scilicet juventutem

excolendam et perpoliendam. Ampla domus, epulae laetae, amoeni hortuli. Obstupuit primo Noster frequentia nobilium adolescentum, qui eo confluxerant; mox formoso discipulorum gregi immixtus et ab ipso rectore benigne habitus, novam sortem aequo animo tulit.

Vigebat autem in illa domo exquisita mundities, disciplina severa, urbanitas Gallica. Quae quum ei maxime arrideret, plurimum operae posuit cum in aliis rebus, quae peregrini moris essent, tum in exercitationibus Gallice dicendi scribendique. Atqui hoc ipsum optaverat pater, qui filium fieri vellet mercatorem, non ex vulgari formula, sed sui similem praetereaque Gallice doctum.

Exacto ibi triennio et amplius, revocatus est domum. Instabat enim tempus, ipsas mercaturae artes usu discendi. Cujus rei initium pater apud se faciendum negavit, sive indulgentiae suae parum fidens, quae etiam severis rectique exempli patribus saepe fraudi est, sive alia quacunque de causa, ab ingenio artis profecta. Itaque filium concedere jussit Cellas, in oppidum principatus Lunae-burgensis, ubi tirocinium faceret auspice mercatore Mittag, quocum pater rationes habebat contractas.

Abeuntem prosecutus est gravi admonitione: ne quid porro peteret aut speraret subsidii ex arca paterna; satis superque jam expensum, ut suis ipse necessitatibus sufficere deberet; male acceptum iri, si quid eum deliquisse pernotuisset.

Piget narrare plura hujus generis, etiam asperiora. Quamquam enim ego non is sum, qui carpere patris consilia velim, abhorreo tamen ab eorum ratione, qui in regenda juventute admonitionum acerbiter comitate sermonis non mitigant, nec nisi minacibus verbis ad extorquendam obedientiam utuntur. Neque magis assentior iis, qui, nulla prioris institutionis, nulla liberalioris disciplinae ratione habita, filiis ac tironibus utendum putant ut servulis, eorumque corpora exercent ad quodvis ministerii genus, quamvis illiberale illud ac sordidum.

Noster quidem vehementissime querebatur de sui tirocinii indignitate, et de famulari opera heri heraeque jussu quotidie praestanda. Graves hinc irarum causae; crebrae objurgationes; offensionum et jurgiorum nec modus nec finis. Peropportune autem accesserunt generosi quidam adolescentes, cum quibus Noster in condiscipulatu amicitiam contraxerat. Hi quum in mercatoris tabernam

intrassent, empturi, quod opus esset mercium, accidit ut suum nuper commilitonem una cum infimae sortis famulis coenantem viderent. Tum ille erubescere indignari, obtestari herum, ne ludibrio et contemptu amplius exponeretur; indigna se passum esse adhuc nec posthac passurum. Intercedunt amici, deprecantur; et quod mireris, eorum preces non cecidere in irritum. Mutato paullatim rerum domesticarum ordine, resedit animorum motus: alius dominus, alius item tiro. Deposuit ille veterem frontis austeritatem, in imperando jam non durus, in reprehendendo non acerbus neque contumeliosus; hujus tristitia abiit in hilaritatem, pervicacia et tarditas in alacritatem officii plenam.

Incidit in illud tempus bellum septenne, quo Francogalli obsessas tenuere Cellas. Hic quum pauci reperirentur, qui peregrinam eorum linguam callerent: subvenit Noster fecitque, ut magni ejus opera et esset et aestimaretur. Undeviginti annorum adolescens cum hostibus contraxit transegitque negotia ipsi demandata; factitavit similia cum foederatis; subvexit merces imperatas, vendidit concreditas; solus saepe exegit retulitque pecunias haud mediocres. Audacem non terrebant diurna,

non nocturna pericula. Quo die atrox committi placuit praelium inter Germanorum socios et Gallorum copias, delituit in casa vicina repetiitque postridie ipsum praelii locum.

Frigidus perfudit horror spectantem campos cruore madentes, horribilem armorum, equorum hominumque stragem, lacera corpora, artus disjectos, fumantia tecta. Grande et atrox spectaculum, cujus memoriam semper recentem nulla ex animo ejus delevit aetas, nulla deminuit. Grandis natu quum esset, juvenili, ut solebat, ardore narravit iteravitque, quid tunc viderit, copiose facundeque enumerans causas, hinc cladis Gallorum, illinc victoriae Borussorum; utraeque pugnantium partes quid secutae sint in instruenda acie, quid in subsidiis disponendis; equitesne an pedites ad belli summam plus momenti attulerint, et alia multa.

Longum est omnia persequi, quae illo tempore vel fortiter ausus, vel commodo suo expertus est. Ipse nihil optatius sibi evenisse profitebatur, quam quod in notitiam pervenisset summorum belli ducum, *Ferdinandi* e Brunsvicensibus, *Soubise* et *Richelieu* e Francogallis.

Adeo se conspici malebat a viris principibus, quam latere inter pares. Sed erant alia bona eaque majora, quae adolescentem manerent.

Mercator enim permotus rebus ab eo peractis, quum omnia praeclara, nihil jam mediocre de eo speraret, non solum ante tempus eum tirocinii lege exsolvit, sed ornavit etiam honore annuae mercedis satis luculentae. Auxit hoc officium magnis muneribus multisque pollicitationibus, quibus et liberalitatem benevolentiamque suam declararet, et adolescentis animum sibi suisque devinciret. Paterno ad extremum amore eum complecti coepit, redamatus et ipse tanquam a filio.

At invidia fati, quis nescit, quam infesta sit diuturnitati necessitudinum humanarum? Optabile illud mutuae caritatis vinculum, quod consilium et prudentia copulaverat, industria fidesque firmaverat, subito dissolvit immatura mors mercatoris, qui morbo correptus, animam efflavit in amplexibus Nostri.*

Hic ut erat molliore animo ad sublevandas hominum calamitates, effusus in lacrimas et questus communes, nihil prius faciendum putavit, quam ut afflictam erigeret viduam, minueretque solitudinis

molestias omni, quo posset, gratificandi studio. Quod quantam ei conciliaverit benevolentiam, quantam existimationem, apparuit anno post, quum viduitatis pertaesa mulier ei viro, qui mercaturae adhuc praefuerat, ita nupsit, ut Noster in ipsius locum succederet.

Tanta enim erat opinio ingenii ejus, ut, qua aetate plerique ad artem discendam admittuntur, ea ille ad procuranda artis negotia vocaretur. Successit autem libenter, idoneus nimirum rebus agendis et labori assuetus. Accedit, quod sic sibi persuaserat, tum demum vere disci posse et accurate disci, quum rerum, quas percepisse sibi videretur, venisset usus, qui solus res ipsas earumque scientiam vel corrigeret vel probaret.

○ felicem adolescentem, qui, quum strenuo animo quidvis negotii aggredere, acriter urgeret opus, nec unquam in eo cessaret, ipse mirari solebat nunc optatum rerum successum, nunc suscepti laboris facilitatem! Rebus sic ex sententia fluentibus, dies transibant instar horarum; florebat domus; florebat ipse, non minus aetate et viribus, quam virtute et gratia. Tantum valet animi inductio et consilii

constantia ad res prospere gerendas, ad vitam honeste ac jucunde agendam!

Sed, ecce, afferuntur literae patris, quibus domum reverti jubetur. Quum enim pater comperisset, totum fere illius mercaturae onus sustineri a filio, non dubitavit, quin jam satis versatus confirmatusque esset in administrandis negotiis alienis: quare ut suam quoque rem agere disceret, primo quoque tempore eum peregrinas in terras mittendum statuit, ubi uberior copia esset amplioris mercaturae in omni genere cognoscendae.

Filius etsi moleste ferebat, de statione sua decedere, non tamen parere noluit. Quid enim honorificentius ei obtingere poterat, quam peragrarum cultiores Europae partes, visere Germanorum, Anglorum, Batavorum aliorumque populorum celeberrimas urbes, amicitias jungere cum nobilissimis cujusque loci mercatoribus, et, si facultas daretur, res rationesque cum illis contrahere? Itaque optimae spei plenus reversus est domum, ubi paullulum temporis commoratus mandata patris accepit. Quo facto, longinquum suscepit iter anno aetatis vicesimo primo, pervenitque Hamburgum.

Hanc urbem, quis tum divinasset, aliquando fore theatrum, ubi ingenium virtusque ejus spectaretur? Sed accidit ei, quod haud scio an plurimis ex interiore Germania huc delatis, ut opinione diutius teneretur clarissimae urbis luminibus. Satiari non potuit tot hominum aspectu, per portas et vicos commeantium, ad curiam, ad aerarium, in forum concurrentium; tacitus constitit, quum videret miracula navium, alia ancoris teneri in portu, alia magnifice ferri per flumen, et fluminis ripas vel horreis cinctas vel villis et ruris amoenitatibus nitentes. Defixus haesit in tantarum rerum obtutu, otiosus spectator.

Mox secum reputans, quo tenderet, quid sequeretur, quid relinqueret, abhorrere coepit a consilio itineris persequendi, et ab ea urbe discedendi, quae tot nova tamque praeclara, per ceteras urbes fortasse dispersa, conjungeret. Sperans denique, a parente veniam longioris morae se impetraturum, aliquamdiu hic manere decrevit.

Opportune vero evenit, ut a vidua mercatoris Hamburgensis, *Funck*, paullo ante vita defuncti, desideraretur opera hominis ad negotia factitanda idonei paratique. Statim ad mulierem accessit

Noster, et voluntariam operam locavit. Jam vero quis enumeret labores, quos ultro suscepit, infinitos? Velut in novam delatus terram, anxie circumspexit omnia, quae ad praesentem mercaturae statum pertinerent, tabulas, epistolas, merces, pretia rerum, et alia omnia. Vix credibile est, sed vulgo notissimum, quantum temporis in excutiendis vel minimis rebus consumpserit; quoties eum lux noctu scribere ingressum, quoties nox oppresserit, quum mane coepisset. Meditando, consulendo, lucubrando tantum profecit, ut Funckiae domus affecta paulisper fides proximis jam annis firmari videretur.

Agnovit sensitque industriae fructum et vidua et viduae Curator. Quum hic praemii loco magnificentum argenti munus ei obtulisset, dimidiam repudiavit partem, operam, inquit, quam praestiterit, tanti non esse! Idem hortantibus amicis, ut in aliquot certe annos suam operam promitteret, conditionem accipere noluit, satius existimans, vellet, nollet abire, pendere ex suo arbitrio quam ex alieno.

Erat in tabulis acceptorum et expensorum, quas Noster perlustraverat, locus insignis, quo magnum aes alienum a superiore quodam Duce Meclenburgico-Streliciensis pridem contractum con-

tineretur. Diu multumque per literas ultro citroque missas, per internuntios crebro commeantes, de solvendo nomine monitum flagitatumque erat; sed frustra. Itaque Noster, fretus et aequitate Serenissimi tum Ducis et justitia causae, ausus est ipsum appellare Principem, et agere cum quibusdam ejus consiliariis, a quibus de die in diem protractus, sexto demum mense negotium expedivit eoque rem perduxit, ut grandis pecuniae summa exsolveretur.

Qua ego voce appellem hanc juvenis fortunam in exigenda re fere desperata, hanc sollertiam in eludendis aulicorum artibus! Dux ipse, generosus et amabilis, captus admiratione juvenis, non donavit ei solum eximiae pulchritudinis equum, sed mandavit etiam perpetuam procuracionem suorum in Urbe nostra negotiorum omnium.

Honorificentissime exceptus est domi: amici viduae salutarunt eum largitorem optimarum rerum; vidua ipsa, cujus fortunas et decus familiae servasset et auxisset, vocavit eum in societatem mercaturae.

Non est praetereunda hoc loco gravitas et moderatio fortunati hominis. Tantum enim abfuit, ut statim frueretur bonis ipsi oblatis, ut deliberandi tempus sibi sumendum putaret, sanctioris quippe

officii religione obstrictus. Pater enim offensus erat, opinione auctoritatis a filio laesae atque imminutae. Quae offensio ne diutius in animo haereret, Noster, indignum sua persona ratus, medicinam a temporis diuturnitate exspectare, sua sponte illuc profectus est, ut et patris conspectui se praesentem sisteret, et excusando deprecandoque pietatis atque observantiae officiis satisfaceret. Sic enim speravit, illum, sedato offensionis impetu, in gratiam cum ipso rediturum, et gravibus dilatae peregrinationis causis, quas ignorasset, placidam tandem praebiturum esse aurem. At secus evenit.

Magnitudinem doloris, ex adverso hujus itineris eventu capti, mirifice levavit certa ejus persuasio, non ex aliqua animi levitate aut impietate ortam esse illam profectionis dilationem, sed expressam ignorantia maximarum rerum ac necessitate amplioris scientiae et longioris usus, ne sine fructu et laude terras peragraret, derisus ab intelligentibus, et contemptus ab iis, ad quos deverteret.

Magnum praeterea dolori remedium praebuit sociatum cum vidua commercium; maximum denique solatium petivit e filia viduae tertia, *Joanna Elisabetha Henrietta*, non ita multo post Ipsi desponsa.

Inde ab hoc tempore, quo sextum et vicesimum annum agebat, suo solius ingenio et divina ope confisus vitam ita instituit, ut famae et prosperitati eorum, qui fidei Ipsius se commisissent, unice inserviret. Intentus negotiis tum veteribus tum novis, nihil detrectavit neque defugit, ad quod vel agendum vel ferendum vocaretur. Supervenit autem necopinanti epistola patris, ad suscipienda ipsius negotia eum invitantis, adjuncta hac admonitione: conjugem ne sibi quaereret; a se jam provisum esse, quae tori socia ei sumenda esset. Qua re primo attonitus, mox ad se rediens, grato animo agnovit prolixam patris voluntatem eique rescripsit, sero propositam esse conditionem et mercatoriam et uxoriam.

Biennio post d. XXIV. m. Aprilis a. 1771. matrimonio sibi junxit virginem illam, suopte iudicio delectam, animi corporisque dotibus ita ornatam, ut et mariti molestias laborum emolliret, et domesticae vitae suavitates mirum in modum augetet. Nuptiarum gaudia summopere adauxit pater gratulatione et dono, quod, ut scriptum erat in epistola, sumptibus in nuptias faciendis par et conveniens esset. Quis tum felicior filio, qui a carissimo patre adeo se diligi

videret! Quis uxore cupidior amplectēdisoceri tam benevoli tamque liberalis! Quum quinquennio post conjuges ad senem visendum venissent, incredibile dictu est, quantus fuerit animorum motus. Filius pendebat de collo patris, oscula miscens lacrimis, retentus et ipse amplexibus ejus; nurum in oculis ferebat socer, a latere suo non dimittens elegantem et maxime spectabilem matronam. Triste quidem fuit supremum vale; at dulcissimum vitae lenimentum et patri et filio e recordatione mutuae voluntatis reconciliatae.

Haec habui, Cives, quae de privata vita Viri Beati narrarem: in qua si longior fuerim, attribuite id diligentiori curae, omnia, quae vera cognovi, et nil nisi vera dicendi. Nunquam enim committam, ut nomina eorum, qui cari nobis et venerabiles esse debent, vel ingrata oblivione obruantur, vel sinistris sermonibus hominum, etiam de praestantissimis viris secus judicantium, ullo modo contaminentur. Unum superest, quod ad conjugium et progeniem ejus attinet, eo minus praetermittendum, quo majorem felicitatis partem in eis posuit.

Uxor ejus octavo demum conjugii anno parere coepit, et primo quidem partu enixa est filium, sed

in utero mortuum. Quod licet aegrotantis matris indicium videretur, felici tamen partu postea edidit duos filios totidemque filias:

Joannam Philippinam Henriettam, d. 24. Maji 1779.

Joannem Philippum, d. 26. Januarii 1783.

Joannem Henricum, d. 5. Februarii 1785.

Joannam Carolinam, d. 2. Maji 1790.

Ex hac prole patri superstitute nata est nova suboles sedecim nepotum, quorum nomina ad calcem hujus libelli subjecta reperiuntur. Hoc loco sufficient, quae diximus de Kochia gente: cui florem prosperitatemque precamur, tanto diutius duraturam, quanto diligentius pia servabit memoria, quot beneficia, quanto labore parta, quo consilio data acceperit ab optimo patre.,

Hunc qualem in publica vita cognoverimus, antequam docemus, non alienum erit monere: liberarum civitatum propriam fere laudem et praestantiam cerni in eo, quod cives civium causa, nulla magnae mercedis spe inducti, nulla ampli honoris vel nominis ambitione impulsus, maximos saepe labores, ad sublevandas egenorum, senum, aegrotantium necessitates, ultro suscipiunt. Moveri illos pudoris, religionis humanitatisque sensu, quis

ambigat? Satis habere videntur, amari a civibus, coli ab afflictis, probari magistratibus; honestissimum operae pretium boni omnes ponunt in conscientia bene factorum, perenni quasi fonte felicitatis humanae.

Noster quoque Consularis, quamvis domesticis negotiis obrutus, suscipere non recusavit delata humanitatis officia, et primum quidem in orphanotropheo, cujus procuratio ei tradita est anno 1784, non sine probabili causa. Qui enim ipse duriore usus esset aetatis initio, et sustinere didicisset suae juventutis necessitates, ei non defutura videbatur facultas videndi sentiendique, quid omnino opus vel expetendum foret aliis in egestate et orbitate viventibus. Et sane fuerunt, qui asseverarent, acriore studio atque intentiore cura orbitati haud facile provisum esse a quoquam; et, quod omnes admirati essent, insignia exstitisse documenta beneficentiae ejus, in iis potissimum rebus, quae ad victum et valetudinem pertinerent.

Parem animum ac bene merendi voluntatem declaravit, quum a. 1793. ad praefecturam rei maritimae et navalis admotus, exstruendo portui novo praeeset. Tanti enim fuit tum opera ejus,

ut ab ipso **Senatu**, gravissimo censore rerum gestarum, publice collaudaretur.

Quid dicam de singulari diligentia, quam in administrando publico mercatorum aerario plures per annos civibus approbavit? Quid de ceteris muneribus, quibus popularium amor eum praefecit? Nulla res major erat, in qua tractanda vel regenda non plurimorum expectationi respondisset. Quod alii prius voluerunt, nulli potuerunt, id contigit ei, ut anno 1797. ejus persuasu rogatuque constituerentur tabellarii, qui pedestri opera epistolas in Urbe ejusque vicinia perferrent. Exstat adhuc laudabile illud institutum, quod incolarum in usum **Noster** commendavit, et **Patrum** auctoritas sanxit.

Ivit deinceps, qua locupletissimi civium apud nos ire solent, per varios honorum gradus, donec summum honoris dignitatisque gradum consequeretur, id quod proxima opportunitate oblata evenisse gaudemus. Suffectus est enim in locum **Meritissimi Senatoris A. H. Adami** anno 1799, die duovicesimo mensis Aprilis, et cooptatus in **Amplissimum Reipublicae Ordinem**.

Vidimus **Senatorem** novum in laudes divinae benignitatis effusum, cujus illustri documento acce-

pisset pignus Providentiae, quam per omnem vitam mirifice propitiam expertus esset, et vero etiam incitamentum pietatis in Deum augendae acerrimum.

Hoc animi sensu auspicatus est arduum illud munus, probe gnarus memorque, quanti ad rem bene gerendam interesset, ita componere mores, ut neque severitas amorem neque facilitas auctoritatem minueret. Maximam potestatis suae vim ponebat in praestantia exempli, quod ceteri imitarentur. Itaque assiduus reperiabatur in curia et foro, frequens in conventibus sacris, laboriosissimus domi, promptus et paratus ad audiendos cujuscunque sortis homines. Sic se gerendo, quid mirum, Senatori majorem in dies accessisse auctoritatem?

Acceptit autem eodem anno gravissimum vulnus ex morte uxoris, quae die v. Octobris morbo decessit: qui casus quantopere maritum totamque domum afflixerit, apparuit ex lacrimis, quibus mortuam cohonestarunt. Tristis et maerens incessit Senator, consolans suos, repetens secum, quantum perdidit, quanta caritate conjux conjugem dilexerit qualis occiderit mater familias. Virum tamen in ipso dolore se praestitit, et mascula virtute restitit malo, quod in obeundis officiis eum non retardavit

pisset pignus Providentiae, quam per omnem vitam mirifice propitiam expertus esset, et vero etiam incitamentum pietatis in Deum augendae acerrimum.

Hoc animi sensu auspicatus est arduum illud munus, probe gnarus memorque, quanti ad rem bene gerendam interesset, ita componere mores, ut neque severitas amorem neque facilitas auctoritatem minueret. Maximam potestatis suae vim ponebat in praestantia exempli, quod ceteri imitarentur. Itaque assiduus reperiebatur in curia et foro, frequens in conventibus sacris, laboriosissimus domi, promptus et paratus ad audiendos cujuscunque sortis homines. Sic se gerendo, quid mirum, Senatori majorem in dies accessisse auctoritatem?

Acceptit autem eodem anno gravissimum vulnus ex morte uxoris, quae die v. Octobris morbo decessit: qui casus quantopere maritum totamque domum afflixerit, apparuit ex lacrimis, quibus mortuam cohonestarunt. Tristis et maerens incessit Senator, consolans suos, repetens secum, quantum perdidit, quanta caritate conjux conjugem dilexerit qualis occiderit mater familias. Virum tamen in ipso dolore se praestitit, et mascula virtute restitit malo, quod in obeundis officiis eum non retardavit

Quum maxime versatus videretur in urbanis negotiis, placuit Senatui, externarum quoque rerum curam ei committere. Mortuus erat tum *Paulus, Russorum Imperator*; successerat ei *Alexander*: cujus utriusque nomen, inclytum illud et venerabile, nostra etiam nunc colit *Respublica*. Ne dicam de beneficiis, quae in hanc *Urbem* inde redundarunt, et plurimis et maximis: sufficiat commemorare, quid grata civitas optaverit, quid Amplissimus Senatus decreverit, accepto nuntio de Summi Imperii Fascibus ad *Alexandrum* delatis. Decreta est mense Aprili 1801. legatio e Senatorum numero mittenda ad Augustissimum Imperatorem, cui de auspiciis Imperii gloriosissime captis gratularetur. Hanc legationem susceperunt duo Gravissimi Viri, *Joannes Schulte J. U. Dr.* et collega ejus, Senator Noster, *JO. DANIEL KOCH*.

Ineunte Maio ingrediuntur gloriosum iter, et primum quidem devertunt *Berolinum*, ubi a Regiis Administris, quos salutatum venerunt, benignissime accepti sunt. Optimis inde ominibus persequuntur iter; peragrant *Silesiam, Poloniam* et *Russicas* provincias; die x. Junii perveniunt, quo contenderant; *Petropolin*.

Quum hujus loci non sit, per singula eundo latius disserere, in clarissima urbe quae viderint audiverintque Legati, aut qualis cuique honos tributus sit: quam brevissime potero, ea tantum narrabo, quae Senator Noster, jucunda rerum memoria captus, mira cum voluptate narrare solitus est: fuisse obviam undique comitatem et singulorum et omnium, quos salutassent; se venisse ad *Alex. Kurakinum*, illo tempore Procancellarium, ad *Paninum*, Comitem Illustrissimum, ad alios primorum ordinum viros, neque aliter ab iis habitos esse, quam qui societatis et amicitiae foedere juncti fuissent; pari liberalitate se acceptos fuisse a legatis Austriae, Borussiae, Galliae, Britanniae, Daniae, ceterisque nobilibus ibidem degentibus; sexto demum Julii die sibi contigisse, ipsius Imperatoris intueri Majestatem, atque ex ejus ore accipere dicta favoris et gratiae plena.

Haud ita multo post admissi sunt ad Augustam Viduam, Alexandri matrem; deinde ad Principes Magnas Caesareae domus. Eadem harum dignitas et amplitudo, eadem comitas et gratia. Spectatum intromittuntur in hortos aedesque principales; invitantur ad sollennia aulae principumque.

Decorati denique omni ornamentorum genere, fruuntur postremo aspectu et alloquio Humanissimi Imperatoris, ita ut festum celebrarent quartum Augusti diem, quo mandatum legationis opus peregissent, et civitati nostrae, cujus personam sustinerant, nil nisi bona et jucunda referrent.

Reduces in patriam receperunt suum uterque negotium, et privatum et publicum. Nostro Senatori obvenit praetura (a. 1804.), gravis illa atque erectioribus etiam ingeniis perquam difficilis provincia. Quid enim majus est et operosius, quam inter multas latendi fallendique artes, contraria quadam arte, quod verum rectumque est, protrahere in lucem, ut suum quisque teneat, ut ablata recipiat, ut contra vim fraudemque tutus sit? Quis igitur miretur, inter populos legibus ad humanitatem excultos praecipuum honorem haberi iis, quorum fide respirat innocentia oppressa, quorum severitate coërcetur atque in jus vocatur fraudulenta, quae impune se jactat, audacia?

Talis laudis cupidus etiam Senator Noster operam dedit, ut, adhibito legum perito et spectatae fidei viro, litigantium causas cognosceret, statueretque, quod legibus consentaneum videretur. Terruit sones, coërcuit fallaces, absolvit innocentes. Erga egenos,

qui solvendo non erant, haud raro misericordem se praebuit, adeo ut eorum nomina de suo dissolveret, litesque dirimeret.

Praetoram excepit (a. 1811.) praefectura quorundam agrorum Hamburgensium, salutaris illa quidem agresti populo, at molesta Senatori futurarum rerum anxio. Suspicebatur enim, mox adfore tempus, quo graviora etiam et sibi et Collegis, quorum amantissimus erat, perferenda forent. Quis, inquit, tutabitur cives contra hostium vim undique imminentem? quis, quaeso, servabit rem publicam, nisi Deus occurrat malis instantibus? Has curas, hos angores versabat animo, metuens sibi et publicae libertati.

Abscesserant sub medium Februarium anni 1813. Francogalli ex Urbe nostra; eorum in locum successerant Russorum copiae. Confestim igitur decrevit Amplissimus Senatus legationem, quae fortissimis nostrae causae defensoribus, Imperatori Russiae et Regi Borussiae, nostras omniumque gratias perferret. Nec diu dubitatum est, quosnam legatos mitti placeret. Prompti et alacres itineri se accingunt duo illi Senatores Veterani: pervolant urbes et terras, et longis ambagibus veniunt Lübbenum, in

oppidum Lusatiae inferioris. Conspiciuntur ibi primum ab Celsissimo Comite *Nesselrode*, cujus benevolentia et auctoritate, proximo jam die post quam illuc pervenerat, hoc est decimo sexto Aprilis die, ad ipsum Imperatorem Potentissimum introducti sunt. Hic sollenni more salutatus, qua humanitate majestatem imperii temperare solebat, resalutavit Legatos, quos nuper vidisset gratulantes, nunc videret afflictos et bene sperare juberet: non defutura nobis auxilia sua; salvam fore rempublicam.

Nec minore gratia, immo obvia comitate triduo post Borussorum Rex, qui Vratislaviae tunc agebat, oratores audivit: qui nescio quid magis admirarentur, regiam gratificandi voluntatem, an felicem legationis exitum. Testatur utriusque legati publica relatio, quam, cogente rerum necessitate, Senatus ad posteri demum anni diem xv. Junii distulit, nullam unquam legationem fuisse aut sperandi voluptate laetabiliorem, aut Principum gratia commendatiorem.

Invitati ab his, proficiscuntur Dresdam ad componendas rationes pecuniarum, quae ad belli sumptus conferrentur: qua re confecta, domum reverti parant. Quum autem crebri afferrent nuntii, adventare

Gallorum copias, intrasse jam Saxonum fines, jam conspici de moenibus Dresdae: quid faciant legati? Properant in confinia Bohemiae, transeunt Pragam, procurrunt in Silesiam, nec prius subsistunt, quam primariam hujus provinciae urbem attigissent. Et ne hoc quidem loco manendi potestas erat, trepidantibus undique incolis atque in eo occupatis, ut vasa colligerent et fuga salutem peterent? Atrocitatem periculi auxit fama de nostra quoque Urbe a Gallis recuperata.

Hoc audito, quis fando exprimat magnitudinem doloris, qui affecit legatos? Recipiunt se diurnis nocturnisque itineribus Troppaviam, munitissimum oppidum Silesiae Austriacae, ubi pedem figant, remoti quidem a belli furoribus, sed ab omni simul consortio hominum sive amicorum sive inimicorum.

Inde ab hoc die, qui erat tricesimus Maji, otiosi sedebant domi, corpore et animo aegri, anxie opperientes, quid serus vesper, quid crastina lux allatura esset. Septimo tandem Junii die de induciis quadraginta dierum cum hoste initis certiores facti, animum abeundi receperunt: Non locus nec tempus eos tenuit; praetervecti Briegam, Francofurtum,

Berolinum, perveniunt Sverinum, unde in diversa abire coguntur. Legatorum uni, Senatori *Schulte*, redire licuit Hamburgum, in complexus suorum; at Senatorum alter, quem hostis ut absentem et alieni imperii impatientem proscripserat, quum nullum in Germania locum sibi tutum videret, alio discessit, solus et incertus reditionis domum.

Talem exitum habuit legatio illa, cujus initium laetabile maximeque gloriosum fuerat! Tantam in viro annis meritisque gravi saevitiam exercuit inexorabile fatum, cujus decreta quis ferat mortalium, nisi erigatur conscientia recti, et firmetur fiducia Dei, factorum rectoris?

Trajecit inde in Sueciam Vir septuagenarius, comite filia minore, quae, cognita patris fuga, propere eum secuta omni ratione sustentavit. Quum pervenisset Gothenburgum, quo habitatum concessit, inopinanti obviam venerunt filius et gener. Incidit autem in gravissimum morbum, in quo tantum erat vitae periculum, ut pro deposito jam haberetur. Sine effectu periere primo medicamenta adhibita; insomnia cruciarunt corpus; sed vicit tandem naturae bonitas. Efficacia lenimenta venerunt ab assiduitate filiae, quae observare, vigilare, blandiendo et conso-

lando patrem exhilarare, una omnia facere, quae
divisa fatigassent plures.

Aegrotanti paullatim rediere vires, rediit quidam
animi vigor. Vix recreatus a malo, Holmiam petiit,
ut benignissimo Regi, *Carolo Joanni*, qui per fugium
exsulanti aperuisset, justissimas ageret gratias. Quo
officio perfunctus, ineunte Junio anni 1814. Ham-
burgum reversus est inter fletus et praedicationes
Dei Conservatoris ac Vindicis.

Sicut nauta, fluctibus et procellis hibernis diu
jactatus, portum videre gestit, ita Noster, conflictatus
cum diuturnis malis magnisque periculis, miri-
fice laetatus est prospectu patriae urbis. Vidit au-
tem, quum una cum gratulantibus amicis urbem
intrasset, domum suam hospicio militum contri-
tam et vix habitabilem; vidit hortos suos penitus
vastatos, villam flammis absumptam; vidit civitatem
eo redactam, ut celerrimis fortissimisque remediis
opus esset ad sananda reipublicae vulnera. Illo
tempore quid quantumque boni praestiterint nostri
Senatores, quid consecuti sint auctoritate, consilio,
opera, omni auxiliorum genere, ad restituendam
salutem publicam, ne ego sim importunus praeco et
laudator molestus! Grati agnoverunt aequales, posteri

admirabuntur. Meum animum etiam nunc, dum haec scribo, perfundit admiratio divinae opis, qua tunc respiravimus, nunc spiramus!

Noster quidem Senator, ut primum potuit, comitem se adjunxit curis ac laboribus Patrum; communibus eorum deliberationibus nunquam non interfuit, atque ita interfuit, ut nullum officii genus aut deprecaretur aut recusaret. Suscepit idem, quamvis senex, novas munerum administrationes, quibus suo more functus est. Ut denique per omnes magistratum gradus, quantum auctoritate valeret, experiretur, constitutus est Consul decimo et tertio Junii die a. 1821. post obitum Magnifici Decessoris *Christiani Matthiae Schroeder.*

Suprema haec reipublicae nostrae dignitas quamquam eum a legationibus aliisque muneribus liberavit, multa tamen relinquebantur, quae strenuum et laboris patientem virum desiderarent. Neque his defuit Consul, dum licebat per vires. Viribus autem usque ad extremum aetatis tempus ita valuit, ut nihil appareret languoris suspecti et reliquiarum, quae graviore ex morbo esse solent.

Nulla corporis incommoda eum impediabant, quo minus frequentaret coetus suorum; facetus et

hilaris inter familiares, facilis et urbanus adversus hospites. Idem reperiēbatur officiosus erga cives, quibus favebat, atque in literatos homines, quorum sermonibus oblectabatur; at severus et rigidus censor eorum, quorum mores ipsi non probarentur. Liberalitatem ejus saepius experta est etiam studiosa juvenus, cujus in gratiam de suo erogabat, quantum ad scholarum sufficeret usum.

Magnus admirator rerum naturalium, ostentabat iis, qui salutatum venerant, et flores, quos educasset, et arbores, quas sevisset, et ruris amoenitates, quae suo exstitissent cultu. In tractandis mercaturae negotiis tantam fuisse ferunt ejus sedulitatem, ut hac quidem virtute nulli mercatorum facile cederet. Ipsa fortunarum detrimenta, quae temporum iniquitas ei importavit, juvante Deo, quem orare et cujus gratia confidere nunquam desiit, feliciter minuit compensavitque.

Admodum grandem natu cruciarunt noctes inquietae; magis etiam eum afflixit infirmitas oculorum in dies ingravescens. Quae mala quum nulla medicae artis ratione levare, nedum tolli possent, confugit, ut dicere solebat, ad misericordiam Supremi Numinis, quod urgentibus malis mox finem imposi-

turum esset. Et auditae sunt preces orantis: qui postquam omnis luminis expers et perpetua sub nocte miseram vitam diu traxerat, novissimo tempore tanta se patientia armavit, ut mortis adventum placido animo vultuque exciperet, neque tam mori quam obdormiscere videretur. Dies is fuit **XXVI.** Aprilis a. 1829. Obiit autem octoginta ^{sex} septem annos et octo menses natus, Corpus depositum est in coemeterio **D. Jacobi**, in crypta **Kochiae** gentis, juxta conjugis ossa, ut ipse voluerat.

Justa ei persoluta sunt sollenni exsequiarum pompa atque eis funeris honoribus, quos **Summis**

Reipublicae Magistratibus tribuere solet
grata **Hamburgensium Civitas.**

**Liberi et Nepotes Consulari Viro
superstites sunt hi :**

- I. Major filia, *Joanna Philippina Henrietta*, nupta erat inde ab anno 1800. *Joanni Gabe*, et hujus post obitum a. 1807. *Petro Kleudgen*, quorum ille filium reliquit *Joannem*, hic tres liberos: *Jo. Henriettam*, *Jo. Danielem* et *Petrum*.
 - II. Minor, *Joanna Carolina*, nupta a. 1815. *Henrico Guilielmo Bratt*, qui filiam reliquit *Joannam Henriettam*.
 - III. Prior filiorum, *Joannes Philippus*, duxit a. 1815. *Louisam Rhode*, ex qua nati sunt sex:
 1. *Henrietta Friderica Louisa*.
 2. *Friderica Aemilia*.
 3. *Joannes Daniel*.
 4. *Charlotta Carolina*.
 5. *Joanna Charlotta Amanda*.
 6. *Joannes Philippus*.
 - IV. Posterior, *Joannes Henricus*, duxit a. 1810. *Saram Check*, quae quinques peperit. Liberorum nomina sunt:
Harriot Sarah; Jennet; John Daniel;
John Henry; John Edward Cumpbell.
-